



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. V. Quid sit schisma, quale peccatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

D V B I V M IV.

Quid sit contentio & quale peccatum?

33 **N**Ota, contentionem generatim sumptam significare quemvis vehementem conatum. Communiter tamen accipitur pro aliqua concertatione, siue hæc pugnis, siue verbis aut armis fiat, hæc autem accipitur pro ea quæ verbis fit, & significat quamvis disputationem præsertim actionem, quam Græci *λογισμός* vocant.

34 **V**t autem notat S. Thomas 2. 2. quæst. 38. art. 1. potest hæc contentio ex varia intentione assumi. Primò, pro defensione veritatis; Secundo, solum exercitationis causa oppugnando veritatem, vt hæc magis elucescat, aut etiam vt in dubiis possit veritas agnosci. Et vtrique hæc contentio est laudabilis, si cum debita moderatione fiat; est verò peccatum contra modestiam si debita moderatio non seruetur; aut etiam contra caritatem, si contendens aduertat hac ratione pacem lædi, aliorumque animos exacerbari. Posset etiam esse contra virtutem fidei, quando de eius articulis ita cum hæreticis disputatur, vt periculum sit ne auditores magis moueantur rationibus hæretici, quam Catholici: quod facile fit, quando hæc disputatio fit publicè, & Catholicus est minus doctus, aut minus promptè se potest explicare; præsertim si auditores sint rudes. Hinc Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Noli, inquit, contendere verbis, ad nihil enim vile est, nisi ad subuersionem audientium.*

Quæ contentio licita, quæque illicita.

2. Timot. 2. *Noli, inquit, contendere verbis, ad nihil enim vile est, nisi ad subuersionem audientium.*

35 **T**ertio, potest assumi vt veritas seriò oppugnetur ac opprimatur, aut saltem obscuretur; & tunc est peccatum mortale, si illa veritas spectet ad fidem aut ad bonos mores; vt si quis conetur probare vltimas esse licitas. Quòd si illa veritas nullo modo spectet ad fidem, aut bonos mores, ita vt sine horum periculo in ea possit errari, illa contentio est peccatum veniale contra veritatem.

Quarto, potest assumi præcisè vt alter irretatur aut publicè confundatur, eiusque auctoritas euertatur; & tunc est contra caritatem, nisi confundendus sua auctoritate alios in errorem detineat, aut alia ratione fidei bonisve moribus noceat.

D V B I V M V.

Quid sit schisma, & quale peccatum?

36 **N**Ota Primò, schisma idem esse quod scissio, & generatim significare omnem diuisionem; à Patribus tamen ac Theologis sumitur pro scissura siue diuisione, qua aliqui se ab Ecclesia separant, nolendo cum reliquis Catholicis communicare, atque ita eius vnitatem scindant ac diuidunt.

In quibus consistat vnitatis Ecclesie.

Nota Secundo, vnitatem Ecclesie consistere Primò, in vnitatis fidei, qua omnes Catholici eadem de Deo, Christi incarnatione, alijsque fidei mysterijs credunt. Secundo, in externa commu-

nione in Sacramentis, ac cultu diuino, & subiectione respectu eiusdem capitis, qua omnes fideles subiunguntur Christo eiusque in terris vicario Pontifici Romano. Sicut enim omnes qui sunt in eadem republica propter communem vsum eorundem iurium ac legum, & sub eodem magistratu siue principe subiectionem cum mutua inter se connexionem dicuntur vnum corpus: item sicut hæc connexio est fundamentum & causa singularis cuiusdam inter eos amoris, quo quisque ceteris paribus magis amat suum ciuem, quam alios, quibuscumque eiusmodi necessitudinem non habet; ita supra dicta vnio & connexio inter omnes fideles, est fundamentum singularis ac mutui inter eos amoris.

Ex quibus patet, vnitatem Ecclesie duobus modis scindi posse, vel potius aliquos dupliciter posse se ab ea abscindere, ita vt deficienteius esse membra: cum tamen Ecclesia in se semper maneat vna ac indiuisa, nec scindi possit. Primò, per hæresim, quando aliqui deficiunt ab vnitatis fidei. Secundo, quando quis permahendo in eadem fide cum Ecclesia, non vult tamen eam ea in Sacramentis ac cultu diuino communicare, aut renuit eius capiti subesse, atque ita sponte definit eius esse membrum.

Quamuis autem priores longius & magis totaliter ab Ecclesia recedant, seque ab ea abscindant, quam secundi, (nam hi adhuc ei vniuntur in eadem fide, priores verò etiam hanc deserunt, atque ita omnino & totaliter ab ea separantur, & consequenter maius schisma efficiunt) quia tamen priores directe solum intendunt inducere aliam fidem, ideo directe contra hanc peccant, & dicuntur hæretici. Alij verò intendunt directe se ab Ecclesia separare, idque aut omnino expresse, vel saltem implicite, faciendo aliquid quod directe tendit ad scissionem Ecclesie, vt fit quando quis conatur inuito Pontifice congregare generale Concilium, vt notat Caietanus v. *Schisma*; ideoque per appropriationem dicuntur schismatici, & hoc nomine tamquam sibi proprio ab hæreticis distinguuntur. Hinc S. Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 10. initio: *Hæretici, inquit, & schismatici congregationes suas vocant Ecclesias: sed hæretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant: schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna caritate disiliunt, quamuis ea credant qua credimus.* Vbi aperte distinguit schismaticos ab hæreticis; & docet schisma posse esse sine vlla hæresi.

Idem multi probant ex magnis commentarijs S. Hieronymi in cap. 3. epist. ad Titum, vbi ait: *Hieronymus. Inter hæresim & schisma hoc interesse arbitramur: quod hæresis peruersum dogma habeat; schisma propter episcopalem disensionem, ab Ecclesia pariter separatur. Sed alia exemplaria hæc verba aliter referunt: nam pro arbitramur, ponunt arbitrantur. ita vt S. Hieronymus ibi non suam, sed aliorum referat sententiam, & hæc lectio habet aptiorem connexionem cum sequentibus: subdit enim, Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Ceterum nullum schisma non aliquam sibi finit hæresim, vt rectè ab Ecclesia receptis videatur. vbi priore*

priorem sententiam videtur aliqua ex parte corrigere. Sed quidquid hac de re sit, hæc vltima verba satis ostendunt ipsum sensisse schisma posse aliquando esse sine hæresi, atque ita ab hac iuxta iam dicta distingui.

39 *Valentia.* Nota Tertio, ex Valentia tom. 3. disp. 3. q. 15. puncto 2. & alijs, aliquos etiam sine hæresi posse se varijs modis ab Ecclesia separare. Primo, immediatè & directè separando se à Summo Pontifice, quem tota Ecclesia habet pro tali, nolendo ei communicare eiùs subesse; cauendo eum esse malè electum, aut in hæresim incidisse, aut similem ob causam: aut etiam conuocando Concilium generale contra eum congregare; quia hoc faciens implicite se eius obedientia subtrahit. Secundo, volendo se directè separare à tota Ecclesia tamquam polluta idololatria aut communicatione cum idololatrijs; ideoque nolendo cum ea communicare: prout olim se tandem separarunt Donatistæ. Tertio, separando se solum directè ab vna particulari Ecclesia communicante cum tota Ecclesia. Sic olim Nouatiani initio separauerunt se directè & expresse à sola Ecclesia Carthaginensi, eiùsque Episcopo Cæciliano, quem accusabant tradidisse sacros codices, ideoque nolebant cum eo aut cum ijs qui ipsi communicabant communicare.

40 Sed hæc schismata non videntur differre essentialiter aut intrinsecè, sed solum per accidens ac extrinsecè ratione diuersarum occasionum, ob quas illa exorta sunt; aut quatenus aliquamini vel magis expresse se à tota Ecclesia separant; idque vel subito, vel paulatim. Nam etsi fieri possit vt aliqui initio solum intendant se separare à communione alicuius particularis Episcopi & cleri ipsi adhærentis; hi tamen non sunt perfectè schismatici, nisi ita affecti sint vt nolint communicare cum alijs Ecclesijs, posito quoddam cum dicto Episcopo eiùsque clero communicare pergant: quamdiu enim habent voluntatem absolutè permanendi in obedientia ac communione Summi Pontificis ac reliquæ partis Ecclesiæ ei adhærentis, non obstante quoddam cum dicto Episcopo communicent, non separant se absolutè ab Ecclesia. Vnde Valentia supra, §. Item eadem ratione. bene probat omnem verum schismaticum saltem implicite se separare à tota Ecclesia.

Non est quis simpliciter schismaticus donec saltem indirectè se separat à tota Ecclesia. *Valentia*

41 Hinc patet, etiam Summum Pontificem posse fieri schismaticum, vt cum alijs docet Valentia supra prop. 4. Quia absolutè loquendo fieri potest vt ipse nolit cum reliquis omnibus Ecclesiæ membris communicare, sed nouum aliquem cœtum sibi congregare; quo casu sine dubio Ecclesiam scinderet. Sed quia vix potest humanitus accidere aliqua causa qua Pontifex posset moueri ad illud volendum, eiùsmodi casus posset quidem fingi, sed moraliter loquendo vix potest contingere.

Si Pontifex palam fieret schismaticus delineret esse Pontifex. *Valentia.* Adde, sicuti diuina providentia impedit ne Pontifex fiat hæreticus, ita etiam impedit ne fiat schismaticus. Quod si tamen aliquis Pontifex palam se ita à tota Ecclesia separaret, delineret esse Pontifex, sicut si palam fieret hæreticus. Ita cum alijs Valentia supra puncto 3. &

apertè docet S. Cyprianus epist. 52. alijs libr. 4. Cyprian. epist. 2. ad Antonianum. vbi agens de Nouatiano, qui dicebat se Romanum Pontificem, paulò ante finem ait, *Episcopatum autem tenere non posset etiam si Episcopus prius factus à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesia vnitatis desisteret.* & paulò inferius: *Qui ergo nec vnitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere nec honorem, qui episcopatus nec vnitatem voluit tenere nec pacem.*

Nota Quarto, ex Caietano 2. 2. qu. 39. a. 1. in fine, & in Summa v. schisma, & Valentia supra, vt quis sit schismaticus non sufficere quòd in re aliqua particulari nolit obedire Pontifici, quia ipsi videtur nimis difficilis, aut contra suum honorem, aut temporalem vtilitatem; aut qui putat Pontificem non posse sibi similia præcipere, aut similem ob causam; modò agnoscat eum suum Superiorem ac caput Ecclesiæ. Nam ad schisma requiritur inobedientia coniuncta cum quadam rebellionem, qua quis vult se omnino subtrahere à subiectione eius, quem nouit certò esse Pontificem, aut saltem nullam habet probabilem rationem de eo dubitandi. Qui enim habet probabilem rationem dubitandi an alter sit verus Pontifex, siue an sit verè & validè à Cardinalibus electus, non esset schismaticus si ei noller subijci, vt docent Auctores citati.

Vnde bene etiam monet Caietan. supra §. Si autem. quando plures Pontifices eliguntur, neminem teneri alicui determinato ex illis adhærere, donec sufficienter ei constet, ita vt non habeat iustam rationem de eo dubitandi quis ex ijs sit canonicè electus; imò si quamdiu eorum ius est dubium, alicui eorum particularim vt Pontifici adhæreret, peccaret, & esset aliquo modo schismaticus; quia sua auctoritate sibi caput Ecclesiæ constitueret, atque ita se diuideret ab ijs omnibus, qui illum non agnoscerent Pontificem.

Vnde vltèrius sequitur, quando inter plures electos nequit cognosci quis canonicè electus sit, Ecclesiam posse omnes cogere, vt iuri, quod quisque prætendit, renuncient; quia verè tunc nullus eorum habet ius retinendi pontificatū, quamdiu nequit Ecclesiæ sufficienter probare suam electionem esse canonicam. Quamdiu enim Ecclesiæ non constat sufficienter aliquem esse validè electum, non tenetur eum vt Pontificem acceptare, & consequenter nec alter habet ius eam ad hoc cogendi; adeoque nec habet ius exercendi munus Pontificis, quia ad hoc spectat alios compellere vt sibi tamquam Pontifici obedientiam præstent. Quare bono communi id exigente, potest compelli vt omni iure Pontificio, quod se habere prætendit, cedat, vt Ecclesia hac ratione de certo capite sibi prouideat, quo sine grauissimo suo incommodo diu nequit carere. Ita Caietan. tom. 1. opusc. tract. Caietan. 1. c. vltimo, in respons. ad 3. & 4. casum.

Quòd si autem inter dictos vnus ius inceptit esse clarum, ita vt prudenter iam nequeat dubitari quin canonicè sit electus, omnes eitenè buntur adhærere vt vero Pontifici; nec talis

Fff 4

potest

42 *Caietan. Valentia.*

Non omnis noster obediens Pontifici est schismaticus.

43 *Caietan.*

Electis pluribus Pontificibus, cui adhærendum sit.

44 *Ecclesia*

nullum tenetur acceptare Pontificem donec constet eum canonicè esse electum.

45

Legitimè electus ob pacem Ecclesie tenetur quandoque suo iure cedere.

Iohan. 10.

Quid plebeis in schismate agendum.

46

potest à Concilio deponi. Quamvis fieri possit ut ob Ecclesie pacem, quæ aliter obtineri non potest propter potentiam aduersæ partis electum Pontificem acceptare recusantis, ei quæ adhaerentes grauitèr persequeris, ipse ex caritate obligetur suo iure cedere, ac seipsum pontificatu abdicare; quando hac ratione crederetur omnis turbatio sine alio notabili incommodo sedanda. Patet, quia, cum, ut habetur Iohannis 10. bonus pastor teneatur ponere animam suam pro salute ouium, multò magis pro eadem teneatur ponere honores. Et sic Gregorius XII. in Concilio Constantiensi pontificatum deposuit. Plebs autem in eiusmodi casibus debet sequi iudicium Prælatorum suorum, donec ei constitit ipsos iniquam causam fouere.

Ex his patet Primò, schisma esse peccatum contra caritatem, ad quam pertinet procurare unitatem animorum, quam schisma penitus turbat.

Patet Secundò, esse peccatum valde graue,

tum quia maximo bono nos priuat, scilicet illa coniunctione animorum, omnino necessaria ad promouendam salutem animarum & conuersionem infidelium, ac bonum religionis Christianæ, tum etiam quia grauissimas turbas, aliaque mala in Ecclesiam inducit, & communiter gignit hæresim, ut docet D. Hieronymus *Hier.* citatus n. 38. vnde ipsum etiam in Core, Dathan & Abiron Num. 16. grauissimè & inultata pena à Deo punitum est. *Nam. 16.*

Patet Tertiò, Ecclesiam illud etiam merito grauibus penis punire, & præsertim excommunicatione maiore, ut patet ex Bulla cænæ. Vnde etiam schismatici amittunt potestatem iurisdictionis, non tamen ordinis; hinc validè quamuis illicitè conferunt Sacramenta, quæ non requirunt iurisdictionem, ut ostendi to. 1. de Sacram. q. 64. a. 6. dub. 2. & a. 9. & to. 2. disp. 14. dub. 5. ubi sequentibus dubijs enumerati plures penas quas excommunicati incurrunt. Vide etiam Valentiam suprà puncto 3. *Valentia.*

DISPUTATIO XXXI.

De Bello.

D V B I V M I.

Utrum bellum sit aliquando licitum?



Atis per se constat, bellum non esse per se expetendum, sed potius quantum sine periculo grauioris mali fieri potest vitandum, ob multorum cædes, urbium direptiones, aliaque grauissimas calamitates, quas bellum necessariò secum trahit, quibusque non modò nocentes, sed etiam multi innocentes communiter inuoluuntur. Quia tamen multa sunt per se quidem tamquam mala omnino fugienda, quæ tamen per accidens quatenus necessaria sunt ad vitanda maiora mala, læpè prudenter ac honestè expetuntur; qualia sunt cauteria, aut alicuius membri amputatio, periculosa medicina, & similia; quæ vitæ tuendæ causa laudabiliter vsurpantur; hinc quaerimus utrum aliquando possint occurrere iustæ causæ, quæ bellum reddant licitum.

Multa sectidum se fugienda, per accidens expetenda sunt.

2
August.

Manichæi olim teste D. Augustino libr. 22. contra Faustum c. 74. docuerunt bellum numquam esse licitum, ideoque reprehendebant antiquos Patriarchas, Abraham, Iosue, Dauid & similes quod bella gessissent; licet etiam antiquum testamentum in quo illi laudantur, & Israëlitis bella præcipiuntur.

3
Erasmus.

Alij docuerunt saltem Christianis iam per legem nouam numquam licere bellare. Ita Erasmus in annotationibus ad cap. 3. & 22. S. Luca: quem videntur sequi Anabaptistæ.

Isaia 2.

Probatum Primò, quia Isaia 2. dicitur, quod tempore Messie conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad præ-

lium. Similia habentur Osee 2. v. 18 & Michea Osee 4. v. 3. & alibi. Secundò, quia Matthæi 5. iubetur diligere inimicos, & bene facere ijs quinos oderunt; percutienti vnā maxillam præbere aliam, &c. quibus omnino contraria sunt in bello. Tertiò, quia Matth. 26. dicitur Petrus: Conuertere gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Quartò, ad Roman. 12. dicitur, Nulli malum pro malo reddentes. & infra: Non vos defendentes carissimi, sed date locum ira. Scriptum est enim, Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Quintò, quia 2. ad Corinth. 12. v. 4. Apostolus docet, arma militiæ nostræ non esse carnalia, sed spiritualia; vnde ad Ephes. 6. v. 11. & seqq. iubet nos assumere armaturam Dei, scilicet lorica iustitiæ, scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritus quod est verbum Dei. Sextò, quia Concilium Nicenum can. 11. ait: Si qui per Dei gratiam vocati primò ostenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo, post hæc autem ad proprium vomitum reuersi sunt, ut & pecunias darent, & ambirent rursus redire ad militiam, isti decem annis sint inter pœnitentes, &c. Septimò, quia S. Leo epist. 90. aliàs 92. ad Rusticum c. 10. S. Leo ait: Contrarium est omnino Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem, cum Apostolus dicat, Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus: vnde non est liber à laqueo diaboli, qui se militiæ mundana voluerit implicare. Similia habentur c. Falsas. de pœnitentiâ, dist. 5. Octauò, quia S. Martinus, ut legitur in eius vita, Iuliano iubenti ut pugnaret, respondit: Ego Christianus sum, mihi pugnare non licet.

Lutherus verò, ut refert Rossensis a. 34. olim asseruit non licere Christianis pugnare contra Turcas ipsos inuadentes; quia Turcæ sunt flagellum Dei, quo ipse peccata nostra punit, quod illicitè